



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tractatvs De Execvtoribvs Vltimarvm Volvntatum duorum
celeberrimorum iurisconsultorum**

Canis, Johannes Jacobus

Constantia, 1593

VD16 ZV 2896

26. Executoris testamentarij munus, præscriptaq[ue] disciplina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63406](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63406)

IOAN. IACOB. à CANIBVS

inuenerit adhibeat rationem loci, & temporis
personarum ac rerum: nec seueritatem rigorū,
neq; mollitiem &quitatis: sed quod intercurrat,
admittat. & quod honestū pulchrūmū sit, li.
cere consideret: iuxta ea, quæ not. in. l. & silen-
tibus. C. si contra ius vel utilitatem publ.
prætor. §. 1. ff. de ope. no. nun. l. 3. §. in bello. ff. de
re mili. 41. distinct. c. 1. de statu regul. eaque.
& c. cùm quis. de senten. excommuni. libr. 6.
Et hoc genere libasse sufficiet.

26 † Quæro modò secundò, quid agere debet te-
stamentarius executor? Ego in hac re, ut elabo
rior res fiat, primò responsum breue compendi-
osum q; prælabo. Deinde singulas partes rece-
fendo incidentes tollam dubitationes: ita quòd
omnibus supputatis res lucidissima remanebit.
Debet enim executor testamētarius, velut bel-
li optimus Imperator, postquam se ducem noue-
rit designatū, scuto & thorace se præmunire,
signiferos & bellatores colligere, hostes inua-
dere, pugnandi copiam illis præbere, manus
conserere, consequiq; victoriam: eamq; velut
ti prædam diripere, partiri, triumphoq; perpo-
tiri. Debet enim primum officij sui munus aut
sponte

DE EXECVT. VLT. VOLVN.

sponte vel ex mandato suscipere. De hinc debet cautiones offerre, quo securius agere ac conueniri possit. Et debet inventario singula conscribi facere, ne veluti praedo velit aufugere. Postea colligas seu commissarios, si qui sunt, evocare: cum illisq; de re gerenda deliberate consulere. Quinto sequatur, haeredum legatariorum, fidei commissariorum, & debitorum haereditariorum oppugnatio. Sexto, erit corundem ac sui iusta defensio. Septimo, haereses ac legatarios in possessionem ex ordine inducit. Octauo, defuncti bona vendet ac commutabit. Nono, distribuet. Et decimo villicationis sue laudabilitē debebit reddere rationem.

S Y M M A R I V M.

1. Executor testamento decretus, an sponte officium subire debeat, aut possit.
2. Iudicis authoritas maxime conuenit in executionis munere subeundo.
3. Executor cautionem præstare & offerre vltro debet, nulla vi coactus.
4. Cautionum species.
5. Executor cautionem præstare debet legitimè, non vitiouse.
6. Executor testamentarius quatuor cautiones præstare debet quæ patent. ibi. & nu. 7. 8. & 9.
10. Tutor & curator an teneantur de iudicato soluendo: rem item ratam dominum habiturum.

E 2

II. Tutor

